

Bibliothèque numérique

medic@

**Zemelius , Johann. D. O. M. F.
Problemata haec ex praecipuis
medicae facultatis dogmatibus
decerpta, a Joanne Zemelio Conino
Polono publice disputanda
proponuntur Patavii**

*Patavii : Laurentius Pasquatus excudebat, 1575.
Cote : 59105*



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?59105>

D. O. M. F. 59105

PROBLEMATATA


HAEC EX PRAECIPVIS
MEDICÆ FACULTATIS DO-
GMATIBVS DECERPTA,


A IOANNE ZEMELIO CONINO POLONO
Publicè disputanda proponuntur
Patauij.



59105

Patauij, Laurentius Pasquatus Excudebat, 1575.





REVERENDO IN CHRISTO PA
TRI DOMINO IOANNI GNIAZ
DOVSKI, DIVINA CLEMENTIA

Abbati Mogilnensi, Domino suo obseruadiss.

salutem & felicitatem optat.



*S*tatim ex eo tempore, quo singularem
tuum animum, quem erga omnes lit-
terarum cultores circumfers; pro tua
insigni humanitate ad mea restituē-
da studia, prorsus iam tūc labentia, Reuerēde Do-
mine, conuertisti: ardens quadam perpetuaq; testan-
da mea apud te gratitudinis explicandiq; erga te
studij, animum meum incescit voluntas. non quod
putarem te ullam in spem referenda gratia, tua be-
neficia conferre unquam, apud te statuisse; qui in-
uictam magnitudinem animi tui secutus, liberali-
tate, sine quauis expectatione ullius fructus, utaris;
sed ut, si non abunde, saltem aliqua ex parte meam
obstrictam tuis beneficiis memoriam tibi declara-
rem. Ecce uerò tandem primum mihi ad id facien-
dum aliqua est oblata occasio. cum enim nunc in
de cursu eius temporis, quod hic aquirendis medi-

A 2

cina institutis fato praefixum habui, anteacti laboris mei rationem mecum inire; atq; ideo in latissimos eorum campos, per compendium recognoscendos excurrerem; collegi quadam ex maximè eius praecipuis Theoremata, partim ut ex illis recordationem aliorum mihi pararem; partim ut futuri mihi in medendo usus aliquando, quasi praecipua si gna essent; praesertim si arcana, quae iis tenentur recodita, suis nodis, publica eorum, qui mecum in eodè uersarentur studiorum cursu, disceptatione, fierent enodata ac definita. Quoniam uerò in his meis studiis ita sum uersatus; ut maximam illorum partem, tuis beneficiis acceptam referre debeam; ideo & hac illorum qualiacumq; indicia tibi nunc offero, ut mea uoluntatis erga tuam beneuolentiam sint apud omnes interea argumentum: nam quod reliquum tempus spectat, id sine perpetuo augmento obseruationis meae erga te nullum erit. Vale.

Reuerenda t. d.

Cliens addictiss:

Ioannes Zemelius.

- 1 **M**edicina est ars (& ea quidem magna, ut
 2 Plato author est in Phædro) sanitatis
 3 tuendæ, si adsit; recuperandæ, si absit.
 4 Eam in effectiuis esse putamus; illis ta-
 5 men quæ non e nouo aliquid exædifi-
 6 cant, sed restitunt deprauatum.
 7 Subiectum illius est corpus humanum, quatenus tamen
 8 salubre uel insalubre.
 9 Scopus autem sanitas.
 10 Prima uerò principia ab experientia.
 11 Nec tamen hinc dicimus experientiam in medendo an-
 12 tecellere rationi.
 13 Imò præcipuos ex eius authoribus esse asserimus eos, qui
 14 propter usum rationis Rationales dicti sunt.
 15 Vniuersam medicinam in agendo positam esse confiten-
 16 tes, contineri eam rerum naturalium, non naturalium,
 17 et præter naturam, cognitione defendimus.

EX REBUS NATVRALIBVS.

- 18 Res naturales uoco, quæ uel partes corporis humani sunt,
 19 ut Elementa, Spiritus Humores, Solida uel eiusdem
 20 partibus in sunt: ut Facultates et Temperies: uel a par-
 21 tibus proficiscuntur: ut Actiones.
 22 Elementum est pars minima compositi
 23 Ea sunt quatuor, Ignis, Aer, Aqua, Terra.
 24 Ex quibus secundum totam substantiam mixtis et trans-
 25 mutatis prodit mixtum.
 26 Primæ uerò qualitates, quæ illis in suo extremo excessu
 27 insunt, fiunt præcipuæ causæ illorū transmutationis.
 28 Humor est corpus liquidum.

- 15 Humores in corpore humano, secundum naturam quatuor sunt tantum: Sanguis, Pituita, Bilis flava, & Nigra.
- 16 Solida sunt partes magis terrestres & seminares, ad se & alia continenda fabricatae ut os, cartilago.
- 17 Ex his similes ad commutationem cum suis partibus dicuntur: contra instrumentariae.
- 18 Sic & actio omnis propria est similarium.
- 19 Ex partibus autem corporis quatuor sunt principes: cerebrum, cor, iecur, testes.
- 20 Et ab his, quaecumque est facultas in animali, procedit.
- 21 Spiritum dicimus substantiam existentem in corpore tenuissimam, subtilissimam, lucidam, leuemque; ex subtiliori parte sanguinis & solidorum euaporatione genitam, ad deferendam uirtutem à partibus principatum obtinentibus, ad reliquas, ut edere actiones possint.
- 22 Et hic ut triplex est: Naturalis, Vitalis, Animalis: ita uicem inter se permutationis isti habent, ut Naturalis sit materia uitali; uitalis animali.
- 23 Ad Vitalis & Animalis generationem accedit ut materia Ambiens, qui tum per arterias in uniuersum diffusas, tum per instrumenta respirationis, attrahitur ad cor; ad cerebrum uero per meatus olfactorias.
- 24 Temperies est status mixti secundum calidum, frigidum, humidum, & siccum.
- 25 Temperies octo esse tantum dicimus; quatuor simplices, quatuor complicatas.
- 26 Porro corpus humanum ex omnibus suis cognatis magis est temperatum.
- 27 Partes autem eius, cum dicuntur esse tales, ita re uera sunt, si ad se conferantur, ut:

- 28 Ex principibus frigidum est cerebrum: calidi testes: calidius hepar: calidissimum cor.
- 29 Ex similibus calida caro, calidior uena, calidissima arteria. Frigidissima ossa minus his, cartilagine, quas non æquant frigiditate ligamenta, nec ista nerui.
- 30 Inter hæc omnia temperata cutis, maximè uerò quæ est uolæ manus.
- 31 Ex contentis calidissimi spiritus; & horum præcipuè uitales.
- 32 Ex humoribus calidissima flaua bilis: haud ita sanguis: Frigidissima Melancholia, minus pituita: siccissima melancholia, non tantopere bilis: humidissima pituita, quam humiditate non assequitur sanguis.
- 33 Facultatem, Dispositionem esse naturalem ad perficiendum aliquem motum asserimus,
- 34 Quatuorq; istas esse compertum est: Generatiuam, Nutritiuam, Vitalem et Animalem.
- 35 Animalis cum triplex sit: Princeps, Sentiens, et Motrix: Principisq; sint tres species; Imaginatiua, Ratiocinatiua, et Memoratiua; ita de harum omnium loco decernimus, ut omnes hæc commune principium et domicilium habeant ipsum cerebri corpus; Imaginatiua tamen in eius anteriori uentriculo; Ratiocinatiua in medio, Memoratiua in posteriori magis resideat. Sic & Motiua & Sentiens toti quidem inest cerebro, magis tamen hæc anteriori illustratur illa posteriori eius parte: ut earum Sentiens neruis magis utitur mollibus; Motiua duris.
- 36 Vitalis cor sibi usurpat, & arterias, quæ ab illo oriuntur: & ea cum sit duplex: concupiscens & pulsans;
- 37 Hæc per spiritus motu dilatationis & constrictionis fu-

- fos uitam omnibus animalis partibus præstat actu, quibus prius inerat potentia:
- 38 Illa facultates principes & totum commouet ad aliquid fugiendum & appetendum.
 - 39 Nutritiua in hepate residet, à natura ad conseruandum & augendum indiuiduum parata.
 - 40 Ad quod ibidem quatuor illos humores genitos tãdem per uenas illinc ortas ad reliquum transmittit corpus.
 - 41 Inesse tamen omnibus partibus attrahendi alimenti facultatem non dubitamus, qua mediante alimenti fit p uniuersum distributio.
 - 42 Habet autem Nutritiua alias sibi ministras quatuor; Attrahentem, Retinentem, Concoquentem, & Expellentem: quarum Attrahens conuenientem materiam alimento appetit, Retinens ad tempus concoctioni debitum continet, Expultrix protrudit excrementa, Concoctrix in substantiam conuenientem permutat.
 - 43 Habent uerò hæ in uentriculo quasdam peculiariter sibi inferuientes partes; ut Attrahens uillos longitudinales, Retinens obliquos, Expellens transuersos, Concoctrix siue chyli efficiens possidet occultã ipsius uentriculi formam.
 - 44 Generatricis locus est in testibus; munus conseruare speciem.
 - 45 Porro ad generationem indiuidui asserimus concurrere necessariò semen uiri & mulieris secundum omnes sui partes permixtum, ut agens: sanguinem uerò menstruum, ut patiens magis.
 - 46 Actio est motus actiuus qui à facultate procedit; proinde tot sunt actiones quot facultates.

EX

EX REBUS NON NATURALIBVS.

- 47 Res non naturales sex tantum statuimus: Aerem, Cibum & Potum, Somnum & uigiliam, Motum & quietem, Inanitionem & repletionem, Animi perturbationes: easq; sic dici per modum intentionis secundæ.
- 48 Cum uerò in Aere potissimum substantia, qualitas, & permixta considerentur: hæc ex tribus precipuè sumi asserimus; Solis propinquitate uertici nostro, Situ loci, & uentorum accessu.
- 49 Sed aer qui sit substantia subtilis, inter calidum, & frigidum; humidum & siccum temperatus; idemq; lucidus, nec prauæ alicuius qualitatæ particeps, temperatis & sanis est saluberrimus: agris uero cōuenit qui sit contrarius illorum morbo, uel causæ morbi. Sanitatem enim similibus conseruari, morbos per contraria remoueri in confesso est omnibus.
- 50 Ad aerem regiones, tempora anni, & constitutionem referentes, existimamus quattuor clima esse temperatissimum;
- 52 Ver autem calidum & humidum absq; excessu, ac proinde salubre,
- 52 Constitutionem calidam & siccam maximè exitiosam.
- 53 Cibus & potus est materia alimentis,
- 54 Potus tamen aqua est tantum alimentis uehiculum.
- 55 Vinum uerò confertim alit, præsertim meracum dulce.

B

- 56 Cum autem in omni cibo maximè obseruanda sint hæc: substantia conueniens, quantitas, qualitas, assumendi ordo & tempus; asserimus sanis conuenire illum cibum, qui sit substantiæ tenuis, facilis coctionis, respondens temperaturæ & saporis sumentis, & si in eo assumendo mollia præcedant; siq; capiatur hora famis uel consuetudinis; nec ultra quàm uis concoctrix ferre possit.
- 57 Secus de cibo ægrorum decernimus, debet enim is robori uirtutis illorum, morbi naturæ, & causæ, & motui conuenire atq; ex ægrorum patientia metiendus est: proinde.
- 58 Virtute debiliore existente, cibus paulò copiosior est exhibendus.
- 59 Et febricitantes cibis frigidis & humidis alendi sunt.
- 60 Vt in morbis acutis & propius statum tenui uictu est utendum: in chronicis & longè ante statum pleniori.
- 61 Nec saporem ægrorum ullatenus negligendum putamus, sed iucundiora, licet sint deteriora, paulo melioribus, si ab illis respuantur, sunt anteferenda.
- 62 Si uerò sanis bis in die sumendus est cibus, cænam copiosiorē debere esse prandio affirmamus.
- 63 Ægri tamen uel in declinatione, uel longè ante exacerbationem, aut hora qua ad cibos sumendos sani utebantur, cibum sumant, ut in febribus conclusis.
- 64 Motus corporis, quem nomine exercitationum dicunt medici, præstat robur membrorum, ex peditos reddit spiritus ad mouendum, caloremq; natura lem auget; debito tamen tempore & mensura adhibitus.
- 65 Tempus uerò illi commodissimum iudicamus instan

- te hora cibi & urgente appetitu.
- 66 Mensuram, donec uires se aliquantulum grauari ostendant.
- 67 Quies autem immodica suffocat calorem.
- 68 Somnus est animalium facultatum, potissimum uero Sentientis & Mouentis quies, propter calorem naturalem in coquendis humoribus & acquirendo proprio alimento occupatum.
- 69 Et quoniam in somno, tempus, duratio, forma decubitus & in somnia obseruanda sunt, iudicamus noturnum post coenam duabus inchoatum horis omnium esse commodissimum; ut diurnum, & potissimum à prandio, exitiosum.
- 70 Durare uero somnus debet ad exitum concoctionum.
- 71 Decubitusq; in eo primò in latus dextrum, deinde in sinistrum esse debet.
- 72 Sed insomnia potissimum ea in obseruationem capi debent, quæ nequeunt ad præcedentem meditationis statum reduci, quale illud erat, natæ in piscina sanguinis: Vigiliæ dissipant calorem naturalem, & fiunt causa cruditarum.
- 73 Repletionem dicimus ubi uel uasa supra debitum terminum extenduntur, uel uirtus copia alicuius grauatur.
- 74 Vnde fieri repletionem à cibis & humoribus, cui sit dubium?
- 75 Omnem repletionem cum inanitio tollat, magis tamen plethoram tollit uenæ sectio, tandem hirudines & cucurbitulæ; cacochymiam uero medicamentum purgans.

- 76 Sunt tamen & alia quæ inaniunt, ut Exercitatio, Som-
nus, Fames, Balnea, Sudores, Venerea, Frictiones. M
77 Animi perturbationes, quæ sunt principis facultatis
inordinati motus ab aliquo externo, magnarum alte-
rationum corporis defendimus esse causam: nam.
78 Timor & micror ad centrum cogendo calorem eum
suffocat.
79 Læticia ad circumferentiam referendo eundem dissi-
pat:
80 Ira facit igneum.

DE REBUS PRÆTER

Naturam.

- 81 Præter naturam id est, quod uel naturæ uim infert, e-
iusq; functiones interturbat; & id modò per se, ut
morbus: modò interuentu alterius, ut causa: uel quæ
uim naturæ illatam sequitur, & ostendit, ut sympto-
ma.
82 Hæc si in dispartitos sint mittenda locos, morbus ma-
gis residet in solidis; causa in cōtentis; symptoma in
iis quæ utraq; horum consequuntur.
83 Causa morbi est affectio præter naturam, sua sponte
aliquid conferens ad morbi generationem: & hæc
quidem
84 Materialis, est corpus humanum.
85 Formalis, ipsa dispositio praua in corpus impressa.
86 Finalis, priuatio effectus debiti naturalis.
87 Efficiens, quicquid corpus à proprio statu sit aptum
amouere. Et harum cum quædam sint congenitæ,
quædam asciticiæ: non absurdum esse arbitramur as-

- ferere, quòd
- 88 Parentibus nō minus in morbos insitu naturæ, quàm in possessiones legum iure succedamus.
 - 89 Morbum dicimus esse dispositionem præter naturam, lædentem operationes primò, & per se.
 - 90 Eius autem posse demonstrari genera tria tantum: scilicet Intemperiem, Malam conformationem, & Continui solutionem.
 - 91 Ex quibus intemperies est propria partibus similari- bus: prava conformatio instrumentariis; utrifq; autem solutio continui.
 - 92 Ex morbis calidis sine materia, est febris Ephemera: ut cum materia est febris putrida.
 - 93 Ex frigidis sine materia, est congelatio consecuta simp- licem algorem: cum materia ut paralyfis cum pi- tuira:
 - 94 Ex humidis sine materia, ut mollities & laxitas: cum materia, ut Asthma.
 - 95 Ex siccis sine materia, ut spasmus ab inanitione: cum materia, ut Cancer.
 - 96 Ex prava conformatione sunt, adnatæ partes, abolitæ, incurvæ, breves, leues, & asperæ.
 - 97 Solutio continui patet sensui.
 - 98 Atque hic Febrim dicimus esse intemperiem calidam procedentem principaliter a corde per arterias & ue- nas, lædentem operationes.
 - 99 Februm uerò tantum tria sunt præcipua genera: E- phemerum, Putridum, & Hecticum; idq; pro ratione subiectorum, quibus insunt: ut est spiritus, humor, & solida.
 - 100 Quorum Ephemerum a causa primitiua oritur: Patri

- dum ab antecedente, Hecticum aliquando ab his
aliquando singulis, aliquando utrisque præceden- 88
ribus.
- 101 Putridarumq; cum sint aliæ continuæ, aliæ intermit- 88
tentes: has affirmamus oriri ab humoribus putrescē-
tibus extra uenas; illas, si iidem putrescant in uenis.
- 102 Exacerbationes uerò illarum sequuntur occultam pu- 88
trescentium humorum naturam, ut Quotidianæ na-
turam sequuntur pituitæ, Tertianæ bilis, Quartanæ
melancholiæ.
- 103 Quòd autem in Hecticis nullus sentitur calor, id fit, 88
quòd iam solidæ partes æqualiter sunt calefactæ.
- 104 Cæterum cum in quouis morbo motus magnopere 88
attendatur; ob id etiam hi in acutos & chronicos
disiuncti sunt. Acutiq; dicuntur qui sua tempora ce-
lerrime pertranseunt cum ægri periculo: quod genus
est Febris ardens, Apoplexia, Angina: Contrarii sunt
his chronici, ut Arthritis &c.
- 105 Morborum uero sunt quatuor tempora: Principium, 88
Augmentum status, Declinatio: & horum declinatio
est tutissima, in qua nulli moriuntur.
- 106 Symptoma est affectus præter naturam sequens mor- 88
bum. Et hoc in tres abit ordines: Actiones læsas, Qua-
litates Excrementaq; corporis mutata.
- 107 Primi generis sunt; ut in facultate Principe, Phrenitis, 88
Melancholia, Obliuio: in Motrice Apoplexia, Epile-
psia, Paralysis, Tremor: In Sensatrice Stupor, cæcitas,
praua uisio & comminuta. In uitali Syncope. Asphi-
xia, pulsus intermitens debilis, paruus, rarus, tardus.
In naturali Apepsia, Diarrhæa debilitas hepatis.
- 108 Secūdi generis est Icterus flauus & niger, Leucophle- 88

gnatia, Morphæa: amaror linguæ.

- 109** Vltimi Excretio sanguinis nociua, uomitus intempestiui, nigri, sordidi, continentes aliquas uasorum partes. Deiectiones uirides, cruentæ, pingues cum ramentis intestinorum; Vrinæ nigræ, uirides, albæ foetidæ, cum calculis, arenulis, pilis: Sputa nigra, liuida, crassa: sanguinea, purulenta, salsa, foetida, multa; cum bronchiis: Sudores nimii, frigidi, cruenti, falsi, flauii, unius partis;
- 110** Dolor autem est symptoma præcipuè facultatis rationalis, sequens perpetuo solutionem continui.
- 111** Huc etiam morborum signa referimus; omnia namque illa uel a symptomatis uel causis oriuntur.
- 112** Sed ex causis, primitiuæ maxima sunt indicia suorum affectuum: ut affluentia cibi & potus, intermissio euacuationum testatur adesse repletionem: Sic labor, uigilia, nimii fluxus, inanitionem.
- 113** Ex symptomatis uerò ante alia id præstant læsiones actionum propriarum.
- 114** Ut errare mente, obliuisci, pati quid uicii in motu, uirtutes animales & cerebrum affici abundè ostendit.
- 115** Nec dissimili ratione pulsus uicia: ut auctio a mediocritate & diminutio, uelocitas, tarditas, crebritas, rartas, inæqualitas, intermissio, Asphixia detegunt uicia facultatis uitalis, simulque cordis & instrumentorum, quæ his inseruiunt.
- 116** Sic concoctiones uentris uel abolitæ uel diminutæ uel deprauatæ indicio sunt uentriculi facultatem laborare: ut succi flatulenti commonent nos hepatis uirtutem esse in periculo.
- 117** Excremēta etiam mutata affectuum sunt testimonia,

sine controuersia: & quidem eorum etiam, qui sunt corporis totius maximè uerò partium, à quibus proximè egrediuntur.

118 Vt urina totius aliquando, sed sæpe iecoris, uenarum arteriarum, renum, uesicæq; statim pròdit.

119 Feces de intestinis magis, post de uentriculo, tum de hepate porrigunt iudicium.

120 Sudores quid sit in ambitu corporis demonstrant.

121 Sputa capitis, si simpliciter exeant; si cum screatu; faucium; si cum tusi, pulmonis constitutionē referunt.

122 In his autem omnibus cum quinque in uniuersum obseruentur; scilicet substantia, quantitas, qualitas, contenta, & modus excernendi; si hæc sint commoderata optimè indicant partium, a quibus proficiuntur, & tandem totius, statum.

123 Vt urinae nec crassæ nec tenues, subflauæ, non foetidæ, respondentes quantitati ingestorum, absq; contentis a naturali statu recedentibus, siq; sine molestia & debito tempore exeant, bonam hepatis & eorum, quæ diximus constitutionem afferunt.

124 Sedimentum uerò in urinis sanorum non necessariò requiritur, ut idem si sit album, leue, æquale, in ægris optimè est concoctionis indicium.

125 Contra urinae tenues, albæ cruditatis sunt testimonia: ut nigra, uirides; nisi per crisim tales euadant, demori calorem naturalem ostendunt.

126 Sic color corporis citrinus uitium hepatis, obstructio nemq; meatus fellei; niger lienem pati, ostendit.

127 Ex iisdem etiam fontibus petuntur indicia eorum, quæ consequuntur morbos, ut est Sanitas, Mors, Crisis.

Cum

- 128 Cum uerò recta Curandi ratio progressa per contraria, sita sit in inueniendo per indicationes quid sit agendum, quantum, quomodo, quando, ubi agendum: hæc quidem omnia principaliter indicantur a tribus: morbi natura, ægrotantis uirtute, & ambiente: tamen
- 129 Quid sit agendum, prodit maximè ex naturâ affectus;
- 130 Quantum, agendum, a uirtute ægri & illi coniunctis, qualis est sexus, ætas, consuetudo, genus uitæ.
- 131 Quando agendum, a temporibus morbi.
- 132 Quomodo agendum, ex ægri consuetudine & proprietate singulari.
- 133 Vbi agendum a loco, in quo & per quem fieri debet operatio, quæ ex situ & colligatione partium percipiuntur.
- 134 Hæc autem cum perficiantur tribus instrumentis: Virtus ratione (de qua satis in rebus naturalibus) Manuum opera, & Medicamentis:
- 135 Medicamentum dicimus id, quodcumq; adhibitum uincit corpus.
- 136 Concurrit tamen ad effectum medicamentorum calor natiuus, qui dum in illa agit, ut ea in suam substantiam permutet, facit ea talia actu, cum prius fuerint potentia.
- 137 Quæ uerò ex his sunt purgantia cum delectu: qualis Colocintis quæ deicit pituitam, Scamoneum bilē, Helleborus niger melancholiam, hæc ita purgant occulta & speciali proprietate simili iisdem humoribus.

C

138 Venena uero omnia sunt, quæ propria sua natura humanæ uitæ aduersantur.

139 Operationem autem manuum, siue Chirurgiam pendere ab exercitatione & usu agendi cuique patere arbitramur.

VIRTUS EXCITAT ET VINCIIT INVIDIAM



Disputabuntur uerò in Florentissimo Patauino
Gymnasio, sub felicibus auspiciis Ma-
gnifici ac generosi uiri Domini D. SAN-
CTIFLORII MVNDELLÆ
Brixienſis in Magnifica Philoſophorum
ac Medicorum uniuerſitate Subſtituti
praclariffimi. Anno MDLXXV.
Menſe Maij, Die XV. Hora XII.

Nic. Gal. Vic.
Fr. Maximianus Beniamus Inq. uidit
& admiffit.

